



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Obedientia exacta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ti sinceram constantiam, & constantem sinceritatem debeo, eam tum viuens, tum moriens testatam facere non desistam, neque à caritate tua unquam excidam, particeps nimirum omnium timentium te, & custodientium mandata tua in sancta Romana Ecclesia. Cuius demum iudicio me, scriptaque omnia mea, ut libenter, ita reuerenter etiam subiicio. Tuam porrò immensam bonitatem pro me collaudent, atque deprecentur sancti omnes, siue quos in celo triumphans, siue quos militans in terris Ecclesia uno, & indissolubili Catholica pacis vinculo firmissimè coniungit, atque comprehendit. Tu es principium & finis es mihi bonorum omnium: Tibi ex me, per me, & de me sit laus, honor, & gloria sempiterna.

Hac accepta disputationum Canisij præclara specie, placuit omnibus ut ad ea, quæ restabant perficienda gradum faceret. Sumpserat autem sibi præcipuas tres noui testamenti personas, Præcursores Domini Ioannem, sanctissimam eiusdem Parentem Mariam, & Apostolorum Principem Petrum ornandas, & aduersus hæreticos defendendas. Ceterum, quia Prouincialis Hoffæus scripserat, nisi Pontifex iniiceret frenos, iuberetque lentius,

*Obediencia  
exacta.*



lentius, ac per otium pergere, religione illum, & scrupulis macerari, ne non satis ad obediendum diligens esset, nisi studium supra vires contendere, admonitus est à Borgia, vt interpellaret scribendi laborem interferendis concionibus. Igitur Oenipontum à Prouinciali mittitur, vt apud Archiducem Ferdinandum Ecclesiastem ordinarium agat. Multæ famulo Christi offerebant se se Et fortis. difficultates in eo munere. Haud enim dubiè geminabatur potius labor, quam leuabatur. Quippe dicendum erat non ad vulgus ac multitudinē, sed ad selectam, &, vt ingenium Aulicorum est, fastidiosam concionem: nec dicendum pro voluntate cum animus, atque otium ferret, sed necessitati seruiendum fixa, stataque die. Ad hæc, vt in oppido sede Principis, aulæque sat celebri multum necesse erat in dies subnasci occupationum in omni genere, molestarumque interpellationum, quas vitare non esset. Deinde nec librorū, nec hominum Doctorum, qui consuli in loco possent, quæ præsto erat Dilingæ, suppetebat copia Oeniponti. Denique valetudinem sibi in iis montibus minus propitiā expertus erat. Hæc, atque alia succurrebant, quare videretur de obedi-